



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Controversiae Ecclesiastico-Historicae

Casteel, Gerard

Coloniae Agrippinae, 1734

VD18 10739254

Corollarium I. De Legitimis Natalibus Constantini Magni.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

COROLLARIUM I.

DE

Legitimis Natalibus Constantini Magni.

ECclesia Catholica Phosphorus, Magnus ille Constantinus Imperator, magna pars historiae Ecclesiasticae, tam copiam de se praebuit Scriptoribus Ecclesiasticis tractandi materiam, ut libros implere necesse fuerit ad heroica ejusdem facta aliquatenus dignoscenda: in quibus, etsi communi consensu, neminem sibi superiorem, vix aequalem habuerit: non tamen omnium de illius Legitimis Natalibus, soloque patrio eadem est sententia. Cum itaque de recepto baptismo ejusque, quae fertur, Donatione actum sit; esto suscepti instituti ratio non exigeret, & ad Ecclesiasticam historiam proprie non pertineret haec prosequi; haud tamen omnino extra callem videtur, de utroque corollaria inferere.

Olim, teste Zonara, tom. 3. *Annal.* quæsitum fuit. An Helena, Constantini mater, fuerit concubina vel uxor legitima Constantii Chlori, id est, qui Pater exiit Constantini Imperatoris. Quara quaestionem Saeculi

duodecimi historicus ille, ex Curia Constantinopolitanae ministro Ordinis S. Basilii Monachus, definire non audens, in medio disceptantium reliquit, dum *loc. cit.* scribit de Helena dissentire historicos; nam alios tradidisse legitimo conjugio nuptiam fuisse Constantio, ac dimissam cum Maxmianus Herculeus, filia Theodori ei desponsa Caesarem illum renuntiasset: alios contra statuisse, non matrem familias: sed concubinam, formæ gratiâ, Constantio conciliatam, Constantinum ei peperisse. Tacentibus hac de re Eusebio, Socrate, Sozomeno, Theodoro, Evagrio, illegitimum inter Constantium & Helenam fuisse contubernium indicat quidem obiter Zosimus, perhibent Nicophorus aliique; pro quorum opinione stabilenda adduci possent.

I. Helena humili loco nata refertur, hostipitis, scilicet prostibularii, Drapanensis filia: non est autem verisimile, talem plebejam a Duce nobilissimo, ac Imperatorum stemmate clarissimo, Ordinis Senatorii viro, qua-

qualis erat Constantius (fuit Flavii Claudii ex fratre pronepos) in thalami consortium fuisse assumptam. Et cum S. Ambrosius *fun. Theod. Eutropius Lib. 10.* alique dicant Helenam stabulariam & obsecrati matris: omni: creditu erit difficillimum, à Legato Imperatoris, togâ & sago spectatissimo; nec non totius Romani exercitus præfecto; atque ad ipsas supremas falces spirante hujusmodi infamæ foris puellam, ut conjugem in thalamum fuisse introductam; præsertim cum

*Quam malè inequales veniunt ad aratra
juvenci,
Tam juveni magna conjuge nupta mi-
nor.*

Certè Adelinus verustus Scriptor Helenam Constantii pellicem; Beda alique concubina extitisse disertè asseverant.

II. Romano jure cautum erat, cum declaratione nullitatis, ne quis officialium alienigenam duceret in uxorem in illa Provincia, in qua officii causâ subsisteret. Hoc testatur Papinianus Jurisprudentiæ decus, & legum Gazophylacium à Spartiano dictus. *Leg. Præfectus De ritu nuptiarum* ubi habetur, ut si Præfectus cohortis, vel equitum, vel Tribunus contra interdictum uxorem duceret in ea Provincia, in qua officium gerebat, matrimonium non esset: cum ratio potentatus, ut ait, ejusmodi nuptias prohibeat. Justinianus quoque de antiquorum Romanorum more scriptum asserit. Ne Romanus nisi Romanam duceret in conjugem. Itaque dum Constantius cum potestate missus fuit in Britanniam, non potuit Helenam alienigenam sibi in matrimonio copulare. Atque hinc citatus scribit Zohimus, quod Constantius præter legem convenerit; & quod Constantius sit natus ex consuetudine mulieris, quæ matrem familias non esset; quodque sit genitus ex muliere non matrona; proinde debet censeri Nothus.

Pio Legitimo nuptis inter Constantium Chlorum, id est, viridem aut vividum & Fielenam stat gravissimorum & potiorum auctoritas scriptorum; facitque.

I. Quod Diocletianus Imperator hunc Constantium Cæsarem creando tradiderit illi Theodoram Maximiniani privignam, ubi testatur Aurelius Victor, historicus Synchronus, diremptum prius matrimonium, antequam huic sociaretur: idemque Eutropius *Lib. 9.* perhibet: atque, Baronio teste, apud omnes antiquos historicos, qui res Constantii sunt prosecuti; extat, Constantium scilicet redactum ad dandum libellum repudi; quod non nisi legitimis uxoris dari consuevit. Et cum aliam, quam Helenam habuisse non legamus; sentendum, quod illa anterior fuerit uxor, quam repudiare necesse habuit.

II. Constantius morti proximus, prætermisissis filiis ex Theodora superinducta susceptis, Constantinum sibi in Imperio substituit, & ultimæ voluntatis suæ heredem scripsit, quod Eumenius, perperam à Morerio &c. &c. dictus Eumonius, in Curia Constantii præcipuus secretarius, qui dicebatur *Magister sacre memoria* disertè affirmat *paneg. 3.* & Eusebius indicat. Atqui fuisset hoc iniquissimum; totisque reclamasset orbis, si illegitimo thoro natus, legitimis fuisset prælatus. Ergo firmiter atque indubitatè tenendum, quod Constantius, utpote primogenitus, ex honesto connubio ad hanc designationem plenum jus habuerit. Et quomodo præfatus Panegyrista secus fuisset ausus dicere jam gubernacula tenenti? *Tanta est nobilitas Originis tuæ, ut nihil tibi addere honoris Insuperum, nec possit fortuna Nummi suo impiare quod tuum est... Imperium nascendo meruisti.* Adeoque citra dubium legitimus fuit, quomodo Eusebius eundem in *vit. Lib. 8. cap. 26.* & alibi passim, nominat ingenuum Constantii filium. Accedit, quod ab alio quodam præclaro Oratore *paneg. 5.*

paneg. 5. coram filio & universo magistratu, in publicis nuptiarum solemnitatibus, ejusdem Constantii laudata continentia tantam non admittat labem: nisi impudenter mentitum quis dicere audeat fuisse Oratorem. Idem ille vocat Constantinum juvenem uxorium; qui, quo magis continentiam Patris adæquare posset, ab ipso sine pueritiæ illico Matrimonii legibus sese tradiderit. Ubi observandum, quod Matrimonium cum Theodora Constantius inierit tredecim ante mortem annis, cum Helena autem ætate florens contraxerit.

III. Aurelianus Imperator, à quo missus Constantius, severissimas leges, adjunctis pœnis guavissimis, promulgari fecit militi peccanti, & hospitii jura, fornicando, violanti: ergo veri nequit obtinere speciem, quod Constantius à medestia, moderatis moribus, & animi ingenuitate tantopere commendatus, illius legis transgressor, pessimo exemplo, sese iis obnoxium pœnis reddiderit; vitando hospitis filiam, quod postea tam probrosè divulgatum fuisse.

In contrarium adducta imbecilla reputantur & insufficientia ad Constantinum illustres natales obscurandum. Atque imprimis præsumendum, quod Zosimus, homo ethnicus, Constantinoque Christiano periniquus in legitimarum prolium gravissimam injuriam, nullo veritatis argumento, hujusmodi divulgaverit. *Nequissimis hominibus licet non de vobis tantum præstantissimis: sed de Diis etiam immortalibus contumeliosè loqui.* ait Hicrates. *Orat. de Bigis.*

Ad Primum Respondetur. Cùm universa Nicephori Calixti narratio de ortu Constantini Magni censeatur ab omnibus communiter fabulosa, ut ex sequentibus patebit; sublato fundamento, totum superstructum corruit. Igitur, qui Britannam volunt Helenam, prætendunt, quod nata sit apud Trinobantes in Urbe Colcestria Patre Coello Britannæ Regulo, quod placet Naucero *Generat. 6.*

item Barorid *Annal. tom. 3.* undescendit vit noster Russelius *in vit. Helen.* Hoc, sive rùm sit; potuit Helena ad Constantinum dicere quod Juno ad Jovem, apud Homerum *Gladi. 4.*

Ipsa etiam dea sum; genus inde mihi unda sibi orina.

Nupsit ergo Constantius aptè, quia nupsit pari. Dum autem in authoribus quibusdam reperitur, quod Helena nata sit in Bethania, quemadmodum Vincentius Belluscensis, & S. Antoninus scribunt, aut in Britania, ubi Helenopolis urbs celeberrima, olim Drepanum, amanuentium errore id factum, ac ubivis Britannam esse substituendum, varii eruditi autumant. Alijs interim magis placet, quod Helena Augusta Trevirotum primam lucem aspexerit. Hancque esse majorum traditionem ex Ottone Frisingensi *Lib. 4. cap. 45.* scribente, Helenam ex pago Trevirotum oriundam, eruere moluntur, qua Trevirotum metropolitana Ecclesia lectoralis, olim Imperatricis aula, plurimum condecorata manet. Quod autem à citius Authore dicatur in pago nata, hoc eruditissimus Jacobus Masenius in *Nos. & addictam: ad Annal. Treviri:* intelligi vult, Helenam in suburbanis, juxta urbis Trevirensis mœnia progeneratam; additque ex Principum Secundinorum Veredariis, & mercimoniis Præfectorum illustri domo stemmā duxisse. Ottoni suffragatur Gedefridus Viterbiensis in *Pantib. scribens Miltorum habet assertio, quod S. Helena Mater Constantini de Treviris fuerit oriunda.* Quod patet Lupoldus Bebenbergius *de zelo Germ. Princip.* observat. Idem ex antiquissimis Collegiæ Ecclesiæ Bonnenensis membranis depremit Jacobus Campinus ibidem quondam Decanus. Confirmatur tuon ex perverbiis Ecclesiæ Trevirensis documentis, & lectio-nariis, quæ 24. Augusti in publico officio recitantur.

quæque blandiendo virum ab uxore seducit. Constantius autem cum Helenæ junctus esset, aliam uxorem non habuit. Hinc Beda, qui citatum librum Adelmi laudat, huncque forsitan transcripsit locum, melius pro pellice, concubinam dicit. Non quod illicitum contubernium inter hanc & Constantium intercesserit, atque à fornicatio concubitu sic appellanda esset: sed quod absque solemnitatibus, ac sine dotalibus instrumentis in conthoralem assumpta fuisset, quæ mulier antiquitus concubina vocabatur, & jure Romano ab uxore differbat tantum dignitate L. legato §. parvi quasi scilicet uxor dignitatis sit majoris, quam concubina. Unde concubinatus L. 3. Quodsi alterutram. Inæquale conjugium dicitur. Concubinæ, tamen legitimum & honestum conjugium esse Romano more, observant J. C. Et quia Helena natalium splendore impar, intermissis consuetis solemnitatibus in domum, seu thalamum viri sui introducta fuerat, vocatur illud matrimonium ab Eutropio obscurum; ipsa conjux ab Ambrosio concubina; præsertim cum Constantius, jussu Imperatoris, repudiata Helenâ, cui tamen affectu maritali mansit conjunctus, Theodoram, stirpe illustrissimam, ritu usitato, cum insigni pompa, & Procerum applausu, superinduxerat. Fuit proinde inter Constantium & Helenam matrimonium clandestinum, obscurum & impar, quomodo concubinatus vocatus à Boetio in *Top. Cic.* Hac tamen appellatione illegitimum nequaquam, probari poterit. Consentit usus veterum in sacra Pagina, ubi veteræ legitimæque uxores, non tamen solemniter introductæ, concubinæ vocantur. Ita Genes. cap. 6. Agar Abrahæ uxor cap. 25. Cethura ejusdem uxor vocantur concubinæ, cap. 35. Bala dicitur Jacob concubina, quæ antea cap. 30. dicitur huic in conjugem data; ejusque appellatur uxor cap. 37. Ruth uxor Levitæ Jud. cap. 29. vocatur con-

cubina, quæ tamen in eodem capite etiam uxor dicitur. 2. Reg. 20. David legitur habuisse decem concubinas. 3. Reg. cap. 10. Salomon habuit 300. concubinas, id est, præter septingentas reginas & principales uxores, etiam trecentas assumpsit sibi in matrimonium diversarum rationum filias. Atque in hac eadem significatione sumitur illud, quod habetur in Decreto Gratiani ex Isidoro Dist. 34. c. Is qui. Is, qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, à communione non repellatur: tamen ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubina sit conjunctione contentus. Item ex Augustino C. seq. Christiano non dicam plurimas: sed nec duas simul habere licet, nisi unicam tantum aut uxorem, aut certè loco uxoris (si conjux deest) concubinam.

Ad Secundum Respondetur. Iniqua lege justum matrimonii valor infringi nequit. Sed neque lex illa Romanorum univèrsim ac sine exceptione irritabat Officialium contractus connubiales, quas in Provincia, ad quam missi fuerant, aliquando inibant; verum eos duntaxat, quos attentaverant cum Barbara, inculta, Romanis non adscripta gente, qualis neutiquam fuit Anglica, unde Helena dicitur origenem contraxisse. Sic etiam intelligenda apud Justinianum citata Constitutio.

Haberur insuper ex Paulo J. C. to celeberrimo sæculi II. quodsi post ejusmodi officium publicum depositum in eadem voluntate perseveraverint, justas nuptias permanere. Quemadmodum lex Julia Papia olim graviter prohibebat ne senatores, horumvè filii aut nepotes libertinam ducerent: si tamen desisset esse senator, uxor illius esse incipiat, ut Ulpianus est interpres. Et quoniam Constantius in Britanniam tendens erat senator Romanus, atque magistratu functus; nihilominus copulata sibi conjugii adhaesit, quoadusque compulsus fuit corpore, non animo, eam dimittere, quando Theodoram

Rr

accepit,

accepit, citata lex priori contractui legitimo minimè obstat. Quid quid Zosimus dicat, præter legem conventum; & quia solo usu & mutuo consensu contractum, Helenam neget fuisse matronam, aut matrem-familias, fuit tamen eadem Constantii uxor conformiter iis, quæ Cicero in *Topicis* habet. *Genus est uxor: ejus dua forma, una matrum-familias, qua in manum convenerunt: altera earum, qua tantum modo uxores habentur.* In quæ citatus commentatur Boetius hoc modo. *Tribus modis uxor habetur, usu, farre, coemptione. Sed confarratio solis Pontificibus conveniebat. Quæ autem in manum per coemptionem venerant hæc matres-familias vocabantur: quæ usu vel farre, minime.*

Porro ipsa præclarissima elogia, quæ à viris illustribus de Helena ubertim proferuntur, satis evincere videntur, ipsam honestam conjugem non fornicariam concubinam fuisse. Apud Eusebium, Mater Augusta, Regina venerabilis. Sanctissima Imperatrix, frequenter audit. Ab Imperatore Justiniano, Honestissima mater, piensissima mulier vocatur. In Heleniana Romæ Basilica legitur hujusmodi inscriptio. *Domina nostra FL. Jul. Helena piissima, Augusta genetrici Domini nostri Constantini Sc.* Per similes extat in scriptio antiqua Neapolis in Montano sedili. *Piissima ac Venerabili Domina nostra Helena Augusta, Matri Domini nostri Victoris semper Augusti Sc.* Atque hæc de Helenæ conjugio & Constantini natalibus dicta sint. Nequid deesse videatur huc spectans, quod erudita curiositas ex historia præstularetur Ecclesiastica, de primæva matris seu filii fide adjicienda mantissa, examinandumque, quod controvertitur, an Helena fide præcesserit Constantinum, an hic illam.

Eusebius Pamphili matrem à filio in fide instructam videtur sensisse, quod primam hujus Augustissimæ domus conversionem ad Crucis, ab Imperatore in aère visæ, spectaculum referat. Eusebio adjunguntur Joannes

Zonaras & Cedrenus &c. &c. Ex Occidentalibus quoque pro ea opinione allegantur Marianus Scorus, Vincentius Belluacensis, S. Antoninus. E recentioribus illam amplectuntur Bosius Ordinis Equestris S. Joannis, Gretserus Soc. Jesu, qui Baronium sic quoque sentire scribit *Lib. 1. de Cruce cap. 63.* Atque ad hoc stabiliendum producantur ad Sylvestri, quæ extant apud Metaphrasten *2. Januarii* Inter cætera autem hæc referunt, quod Constantinus à Sylvestro Papa Baptizatus in unum Deum crediderit. Hæc, ubi Helena, scribit conformiter S. Antoninus *parte. 2. cap. 1. tit. 9. §. 3. Mater Constantini in Betania (alias Bythinia) consistens audivit, per litteras laudat filium, quod abrenuntiasset simulachris idolorum: sed dicit increpat, quod, rebelto Deo Judæorum, crucifixum hominem Deum colat. Legitur deinde, quod urgente Imperatore Helena Genilis quidem: sed ad Judæismum inclinans Romanos Judæos adduxerit, quod cum iis Papa Sylvester coram Augustiss. disputaverit, victorie evaserit. Sc.* Ex Eusebio & Lippeloo desumpta sunt, quæ in elegantissimis Fastis Marianis leguntur. *Plerisque filiis matris debent meliorem vitam, quam iis cum lacte instillant: at Helena à magno filio Constantino, cui corpus dederat, anima creditur recepisse splendorem. Siquidem quam de cultu doctus religionem filius, tam large pia adoratione & exemplis communicavit matri: ut in pietatis Christiana officii cum filio deciceps decertaret.*

Pro avita equidem Helenæ fide extant argumenta non spernenda. Inter hæc potiora, quod secundum communem traditionem credatur ex parentibus Catholicis nata; aut saltem orthodoxam Religionem professæ, antequam Constantio jungeretur, quia hic eximius Christianorum fautor ac Evergetes, ut nuncupari posset Christianus, qui etiam morti proximus perhibetur Religionis veram amplexus, uique Helenæ opera & studio

Helena

recitantur: tum ex quamplurimis Basilicis & sacris ædificiis, à piissima Imperatrice in illo territorio erectis, dotatis, & splendide decoratis, variisque reliquiis ex Palæstina illuc collatis: tum denique ex repertis lapidibus, columnis, cippis, nummismatibus, quorum inscriptio. FL. HELENÆ AUGUSTÆ, & adversa parte SECURITAS REIPUB. Infernè verò S. TR. Id est, Signatum Treviris.

In his tamen non usque adeo firmum reperitur subsidium, quin à Trevirensibus dissentientes reponere queant; fuisse quidem Helenam aliquando Treveris indigenam, ut refert Berengosus Abbas Sancti Maximini *Lib. de invent. S. Crucis*, & probant adducta argumenta: perperam verò inferri, quod sit Treviris genita. Nisi itaque alia producantur argumenta Tervericum natale solum efficacius evincunt, meritò de eo, quod præfertur, dubitare licet. Hæc tamen, Masenius ait, se præterire: & si productis à se quis acquiescere nolit, certiora ab illo, quam dedit expectat. *Videri poterit Corollarium secundum.*

Quomodo autem Ambrosius Helenam, sive Britannam, sive Trevirensensem, aut Drepanensem, vocaverit stabulariam, diversi Authorum sunt sensus, variæque interpretationes: qui, quantumcunque vocabulum illud torqueant, vix tamen à vilitatis nota eximunt. Polydorus *Lib. 2.* Richardus Vitus in *Martyrio S. Ursule* asserunt Heenz patrem Cæsari fuisse Comitem stabuli, quod officium, inquit, in Imperatoris aula est præstantissimum: & in Gallia olim præcipuum: qui eoungebatur, Connestable nominabatur: penes quem esset totius gubernationis & imperii potestas: ut legere est apud Baccan, *Lib. 2. Gigant.* & sicut Pomponius Lætus memorat, Valentinianus Augustus fecit Valentem fratrem tribunum stabuli. Quicquid sit de hoc, in communi significatione, apud Ambrosium Ca-

lepinum, stabularia est, quæ cauponariam exercet, & viatores mercede recipit. Alanus Burchardus *annalib. Britan.* refert Coellum Regem in Britannia statim ab ingressu Constantii obiisse relicta unica filia Helenâ, quam Britanni, ne Constantius raperet, vili veste indutam in molendino absconderant: quæ inde extracta Constantio nupta fuerit. Unde nasci potuit stabulariæ appellatio. Quantum hæc de verisimilitudine sibi vindicet conjecturatio, non est operosum dignoscere. Masenius *loc. cit.* arbitratur, quod Helena operibus pietatis & charitatis in proximum valde addicta, hospitalia & Nosocomia frequentaverit; ideoque ob hospitale munus factum, ut Divus Ambrosius Stabulariam vocaverit; sed planè foelicem, à qua tantum in Ecclesiam, orbemque universum boni promanavit. Hoc interpretamentum magis pium, quam S. Ambrosii menti aptum videri potest. Michaël Alfordus *de Hel. & Constant. patria cap. 1. sect. 2. §. 7. m. 11.* persuasum habere cupit, Helenam dictam stabulariam, quod Christi incunabula in stabulo coluerit, quod illud stabulum, in quo Christus natus est, præ Regum Palatii honoraverit; assidue frequenter averit, ornaveritque. Et quia videbant infideles Augustam hanc foeminam hoc loco adeo delectari, per ignominiam dixerunt Stabulariam; à quo convitio Ambrosius eam vindicando in illa oratione dicit. *Bona stabularia, qua stabularium non ignoraverit illum, qui vulnera curavit à latronibus vulnerati. Bona stabularia, qua tam diligenter præsepe Domini requisivit. Bona stabularia, qua maluit existimari stercora, ut Christum lucrifaceret.* Quibus verbis, ut præcendit citatus Alfordus, Ambrosius significat, Helenam non probri, sed honoris loco duxisse, stabulariam vocari. Quod quidem verum est in eo sensu, in quo S. Doctor hoc vocabulo usus tunc fuit, qui illud ipsum, quod olim opprobrii ansam præbuerat, ex alia ratione in laudem

laudem & decorem ingeniosè convertendo, cedere demonstrat. Quomodo Christus Salvator noster fabri filius, Galilæus, Samaritanus calumniosè à Judæis fuit nuncupatus; quod tamen ex ipsa vocabulorū significatione sancti Patres ut verissimè, aptissimeque dictum in laudem tribuant. Interim Alfordi opinionem infringit, quod Divus Præsul magnam hanc feminam, uti vocat, stabulariam fuisse nuncupatam ante nuptias observet; consequenter antequam stabulum Bethlæmiticum viderat. Quare hujus appellationis origo ex frequentatione hujus stabuli, utpote diu post facta, desumi non poterit.

Celebratissimus Annalistarum Coriphæus eandem hac in re suam mentem patefecit, dum tom. 3. ad An. Chr. 306. hæc posuit. *Stabularia dicta est Helena, quod hospitii, apud quem dixerit Constantius in Britannia, filia fuisset. Sed qualis hospitii, qui Duceem totius exercitus domi exciperet? Certè non infimi ordinis inter Britannos, & mediocrum facultatum. Sed par est credere, ut evenire solet in hospitalibus militaribus, qui in civitate nobiliores, ac ditiores sunt, eos, qui digniores pariter militia ducunt ordines, hospitari solere. Atque hæc magis genuina, si quæ alia, Ambrosianæ periodus, ipsiusque vocabuli censei debet interpretatio: quandoquidem S. Augustinus Lib. 8. de civis. Dei pronuntiat. Stabularia mulieres dicuntur, quæ exercent stabulum & viatores mercede pascunt. Et Ulpianus, sub Alexandro Imperatore Prætorii Præfectus. Cauponæ & stabularios eos aquæ accipiemus, qui cauponam & stabulam exercent.*

Qualis igitur in sensu Baroniano Helena fuit stabularia, non usque adeo inæqualis videtur Constantio: præsertim cum hujusmodi viri strenui specie quandoque magis, quàm genere allekti, sibi illas socient, quæ ob formæ venustatem invenerunt gratiam in oculis suis, *Formosa facies multa comprehendenda*

est. ait Publius Mim. Nec adeo infrequens est quod Reges & Monarchæ ob singulari formæ elegantiam, cum inferioris sortis puellis matrimonia inierint, ut de Alexandro Magno Rhoxanam, ob eximiam pulchritudinem, sibi matrimonio copulante refert Curtius Lib. 5. de Theodosio Juniore, Eudoxiæ nubente tradunt alii. Hujus rei varia in sacris litteris leguntur exempla de Asluero, Davide &c. & Plautus in *Anular.*

Laudent sapienter factum & confici bono,

*Opulentiores pauperiorum filios
Ut indotatas ducant.*

Certè Ericus XIV. Rex Sueciæ Anno 1567. cum lictoris filia formosissima nuptias Stockholmiz celebravit. Potuit etiam Constantius propter præclaram Helenæ indolem, placitos mores, aliavè singulari naturæ dona fuisse allekti; ut eam, licet stemmate imparem, sibi copularet juxta illud Ovidii.

*puella
Ingenio facile conciliante placens.
Certus amor morum formam populabatur etas.*

Authoritas Eutropii (fuerit is Ethnicus, seu Orthodoxus) rectificat potius, quàm obscurat Constantini natales. Fateatur enim ipsum natum ex matrimonio, non quidem illegitimo, sed obscuro, quale fuit Constantii cum Helena respectu maximè solemnium & clarissimarum nuptiarum, quas postea Treviris celebravit, quibus & Imperium consecutus est.

Adelmus, Orientalium Saxonum Episcopus Lib. de laud. Virginit. scribit quidem Constantinum ex pellice Helena genitum; quod in rigorosa significatione nequit esse verum. Pellex enim vulgò appellatur, quæ cum eo, cui uxor est, corpus miscet, quæque

summo Pontifice designatis, ibidem comparuerint: cum tamen certum sit ab everfione Jerufalem nullos fuiſſe Judæorum Pontifices. Narratur inſuper; Judæos fuiſſe in Synodo ſuperatos: ſed nulla Helenæ fit mentio, quæ tamen imprimis nominanda, cujus operâ ſynodus celebrata dicitur. Si quæ verò ſynodus celebrata fuerit, hanc non niſi, pro Judæorum ſalute, & converſione zelotiſſima Imperatix promovit; quæ nunquam Judæis ob alium finem ſavit: quos etiam minis & intentatis pœnis, vigore Imperatorii Decreti, aut refractarios correxerit, aut docibiles Dei Catholicæ aggregavit Eccleſiæ; quæ, ut S. Chryſoſtomus *hom. 46. in cap. 23. Matth.* ſcribit. *Inſtar Gallinæ*

non ſolum ſuos Chriſtianos ſtudet vocare: ſed ſive gentiles, ſive Judæi, ſi ſuppoſiti illi fuerint, omnes fidei ſua calore vivificat, & in Baptiſmo generat, & in ſermone nutrit, & materna diligit Charitate.

